DISSERTATIO JURIS PUBLICI
DE
INSIGNIBUS,

Quam
D. T. O. M. A.
Magnifici JCtorum Ordinis in almâ Salanâ
indultu,
PRÆSIDE
VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO AC EXCELLENTISSIMO,
DN. JOH. VOLK. Bechmann/
JCto & Antecessore hujus Academiæ famigeratissimô, Prof. Publ. celebratissimô, Consiliariô Saxonicô eminentissimô, Dicasterii provincialis, Facultatis Juridicæ & Scabinatûs Assessore gravissimô,
Designatô Magnificô Rectore,
Præceptore suô æviternùm devenerandô,
Publicæ Eruditorum censuræ
submittit
WOLFGANGUS THEODORICUS à Volgstädt/
EQVES THURING.
AUTOR.
In Acroateriô Juridicô
ad d. Februarii.
H. C.

JENÆ
Typis JOHANNIS NISII,
A. O. R. cIↄ Iↄ CLXII.

SERENISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN. ERNESTO,

SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM DUCI, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISMIÆ, PRINCIPALI COMITI HENNEBERGIÆ, COMITI DE MARCA ET RAVENSBURG, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN,

PRINCIPI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

HUMILLIMA AC DEVOTISSIMA ANIMI SUBJECTIONE

DEDICAT ET CONSECRAT

WOLFGANGUS THEODORICUS à Volgstädt.

Ξὺν Θεῷ παλάμᾳ!

THESIS I.

ANtequam ad ipſam materiæ hujus uberrimæ tractationem accedamus, juxta monitum *Scaligeri*, (α) qui, *à nominibus auſpicandum eſſe*, dicit: *& verba non Grammatiſtis tantùm, ſed etiam Juri operam daturis curæ ſint*. (β) *Rerum enim intelligentia à verborum pendet intellectu*. (γ) Ipſum nomen *Sigillorum* ut evolvamus, operæ pretium eſſe, duximus. Non enim unô modô, ſed variè à variis dicuntur.

TH. II.

Sunt autem quidam, qui *Sigillum* metaphoricè dictum putant à *ſigillô*, h. e. parvâ ſtatuâ, ſive imagunculâ, qualem in ſigillis obſignandis literis dicatis obſervamus. Sic quoque Romani eloquii flos, *Cicero*: (δ) *Negare Deos non audes*, inquiens, *ſapienter id quidem, etſi hôc locô non populum metuis, ſed ipſos Deos. Novi ego Epicureos omnia ſigilla numerantes*, hoc eſt, ut quidam explicant, omnes imagunculas adorantes & colentes Græcorum more.

TH. III.

Alii deminutivum à *ſignô* eſſe, rectiùs autumant. Nam ut à tignô tigillum, à pugnô pugillus; ita à ſignô ſigil.

(α) exerc. 365. ſect. 1. (β) Ulpian. l. 1. ff. de juſt. & jur. (γ) Gell. l. 13. Noct. Att. c. 10. (δ) lib. 1. de nat. Deor.

figillum & à figillô figillatim, hoc eft, per fignum, additâ quafi notâ, aut figillô. (α)

Th. IV.

Quin igitùr *figna* & *figilla* olim fimulacra Deorum & Heroum, aut præftantis Viri alicujus, appellata fuerint, & vafis ac fcyphis caelatorum ac vafculariorum alligari folita, dubium non eft: quæ ideò figillata dixêre. Sic fcyphi figillati *Ciceroni* idem funt, quod figillis ornati. *Cum federem*, inquit, *domi triftis, accurrit Venerius, jubet fcyphos figillatos ad Pratorem ftatim afferre.* (β)

Th. V.

Communiter *figillum* & figillatum accipi obfervamus pro cælatis operibus. Hôc fenfu ter legitur apud fæpè laudatum *Ciceronem*: (γ) *Appofuit*, inquit, *patellam, in quâ figna erant egregia.* Et iterùm: *Sigillu avulfis, reliquum argentum reddidit.* Et rursùs: *Tabula, in quibus figilla erant perfcripta.* Sic etiam accipiendi funt textus in *Corpore noftrô juris*: (δ) ubi *adjuncta figilla*, item *figillum candelabro adjectum*, non, ut vulgò putatur, fumuntur pro *figillis* propriè fic dictis.

Th. VI.

Infuper dicuntur etiam *figilla* annuli ferrei, quibus equi & muli ad frenum alligantur, ut plurimùm in muris pofiti. (ε)

Th. VII.

Sumuntur etiam à quibusdam *figilla* pro characteribus & amuletis collo quandoque applicari folitis. (ζ)

Th. VIII.

(α) Becman. d. orig. L. L. in voc. inftigo.
(β) 6. in Verr. (γ) ibid. (δ) l. 32. ff. de argent. aur. & c. leg. & alib.
(ε) Phil. Camerar. hor. fuccif. cent. 3. c. 29. & 30.
(ζ) Efa. 29. v. 11. & 12. Apoc. 5. v. 5.

Th. VIII.

Accipitur etiam *ſigilli* nomen haud rarò in ſacrô codice pro ſecreti demonſtratione. Tali etiam modô à Theologis, Canoniſtis & Scholaſticis ſumitur. Similiter, quando confeſſoribus delinquentium peccata remittuntur, ſub *ſigillô* confeſſionis hoc fieri, dicitur: unde hoc *ſigillum* nîl aliud, quàm obligatio, vel debitum occultandi aliquid.

Th. IX.

Sumitur quandoque *ſigillum* pro titulô: uti eſt ſigillum conſecrationis in altari, quod eſt quoddam foramen, ubi reliquiæ reconduntur, & aliàs ſepulcrum dicitur, locaturque interdùm in parte ſuperiori & clauditur, interdùm in parvô lapide quadratô, vel rotundô, interdùm ſub tabulâ reconſecrandum eſt altare, hinc lapis, qui ſupponitur foramini, *ſigillum* vocatur, quòd ponatur locô *ſigilli*, hoc eſt, tituli. (*a*)

Th. X.

Et hæc circa *homonymiam* hujus vocis notanda ſufficiant. Nos *ſigilla* pro ipſis *inſignibus* accipere hôc locô minùs dubitabimus. *Inſignia* verò in genere ſic dicta, quod notum eſt, vel ſunt *publica*, vel *privata*. *Publica* ſunt, quæ autoritate publicâ, prout placuit, ſignificandæ ſeu demonſtrandæ alicujus dignitatis, nobilitatisve eminentioris oſtendendæ gratiâ, conſtituta ſunt. *Privata* ſunt, quæ quis ſibi propriô arbitriô, ex animi ſententiâ proque lubitu, ad nominis, prænominis, cognominis ſimilitudinem, aliudve voluntatis placitum, ſui recognoſcendi causâ, aſſumit.

 Th. XI.

(*a*) *Geneſ. 28. verſ. 18.*

Th. XI.

Deinde *Insignium* alia sunt *Realia*, alia *Verbalia*. *Verbalia* sunt, quæ in nominum, titulorum, inscriptionum & Symbolorum præeminentiâ & honore subsistunt. *Realia* vocamus, quæ certô aliquô reali symbolô hieroglyphicô constant. Sic, uti ex historiâ Romanâ passim videre est, belli signum apud Romanos semper erat hasta, quâ bellum indicebatur, in hostium agros projici solita. Ita etiam apud nos lugentium signa sunt panni nigri.

Th. XII.

Insignium realium rursùs alia sunt peculiaria *signa*, alia certæ alicujus præeminentiæ Symbola hieroglyphica.

Th. XIII.

Insignium etiam alia sunt *Sacra*, alia *Politica* sive *prophana*. *Sacra* dicimus rei alicujus sacræ mysticæ symbola. *Politica* sive *prophana* non item.

Th. XIV.

Inter sacræ rei *signa* jam olim illud constitutum, quando DEUS arcum in nubibus cœli in *signum* fœderis collocavit. (α) Ita etiam in signum fœderis, gratiæ & fidei, Circumcisionem & Agnum paschalem instituit. (β) Sic *Christus*, in *signum* suæ erga nos gratiæ, Sacramenta, Cœnam Domini & Baptismum. (γ)

Th. XV.

Inter *politica* seu *prophana insignia* etiam sunt hederæ diversoriis & tabernis publicis præfigi solitæ, quibus vinum sive cerevisia venalis indicatur.

Th. XVI.

(α) Genes. 9. v. 12. (β) cap. 17. v. 11. (γ) Matth. 28. v. 19. Matth. 26. v. 26. Marc. 14. v. 22. Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 13.

TH. XVI.

His missis, collubitum jam est addere, ad scopum nostrum quæ faciunt: & quidem de *Insignibus* sive *Sigillis* (indifferenter enim usurpamus) quibusdam *politicis realibus*. Notanter dico quibusdam: prolixius enim foret omnia & singula enumerare. Hoc qui periclitatur, is arenarum numerum & omnes Oceani guttulas, omniumque montium pondera scrutaturus animôque subducturus esse videtur. Sed ad rem. Videbimus *sigilla seu insignia benevolentiæ & obsequii Papalis*, *Jurisdictionis & Imperii*, & de quibusdam aliis pauca addemus.

TH. XVII.

Insignia autem *benevolentiæ & obsequii papalis* sunt: I. *Rosa aurea*, quam *Pontifex Romanus* Regibus & Principibus dono dat, ut eò faciliùs eos in officio obedientiæ contineat, eosque sibi hôc munere obstringat. II. *Ensis inauratus*. III. *Pileus* sive *Galerus*. IV. *Calcar aureum*. V. *Crux aurea*. VI. *Claves ex sepulcrô divi Petri*. VII. *Vexillum*. VIII. *Sceptrum*. IX. *Malleolus aureus*. & X. *Osculum pedum*.

TH. XVIII.

Jurisdictionis & Imperii insignia sunt: I. *Sceptrum*. II. *Tribunal*. III. *Furia*. IV. *Cruces ligneæ*. V. *Palus nummellarius*. Hîc tamen notandum, hæc & ejusmodi *Insignia* non facere statim probationem jurisdictionis.

TH. XIX.

Investituræ insignia sunt: I. *Gladius*. II. *Sceptrum*. III. *Corona*. IV. *Hasta*. V. *Vexillum*. VI. *Annulus aureus*.

TH. XX.

Sigilla porrò quædam sunt *Symbolica*, *dignitatis universalis*, vel etiam *singularis*, *notæ*, quædam *Gentis* sive

Genti-

Gentilitia.Symbolica dignitatis universalis sigilla sunt propria alicujus ordinis, vel personæ ornamenta, quibus ab aliis distinguuntur.

Th. XXI.

Hæc sunt vel *dignitatis Ecclesiasticæ*, vel *secularis*. *Dignitatis Ecclesiasticæ insignia* seu *sigilla* sunt præeminentiæ Ecclesiasticæ compendiosa *symbola*, quæ in *Divalia, Pontificialia*, in genere & specie sic dicta, velut *Cardinalia, Patriarchalia, Episcopalia, Abbatica, Canonica & Pastoralia*, ac denique *Ordinum*, veluti *Religiosorum*, qualia sunt *Clericalia & Militiæ sacræ, & non Religiosorum*, ut *Equestria & Academica insignia* dispescenda & separanda veniunt. De singulis pauca adjiciemus.

Th. XXII.

De *Divalibus* primò agendum. Et sunt ea vel *Deorum gentilium, Musarum & Pontificum*, vel *sanctorum Prophetarum, Apostolorum, Martyrum & aliorum Christianorum*. *Insignia* autem *Deorum gentilium* optimè à pictoribus & statuariis referuntur, tùm singula nomina suis insigniuntur notis. Sic *Pluto* uncô & clavibus, *Jupiter* fulmine, *Saturnus* falce, *Cybele* tympanô, *Apollo* lyrâ, *Mercurius* caduceô, *Diana* venabulô, *Cupido* pharetrâ & arcu, *Venus* faculâ, *Hymen* rosis, *Vertumnus* scalis, &c. Habebant præterea singuli Dii suas aves & propria animalia, quæ eos comitabantur, utpotè *Jovi* Aquilam, *Veneri* cygnum & columbam, *Dianæ* cervum & canes, *Marti* lupum &c. dicabant & tribuebant comites. Confer hîc *Rosinum*, (a) unde hæc transtulimus & compendi fecimus.

Th. XXIII.

(a) *lib. 2. antiq. Rom. c. 3. & seqq.*

TH. XXIII.

Musas quoque antiquissimis temporibus sua recepisse, & adhûc retinere *insignia*, testis est *Pyrrhi*, Epirotarum Regis, annulus, cujus gemma, quæ *Achates* fuerit, novem *Musas* cum *insignibus* suis singulas & *Apollinem* citharam tenentem repræsentâsse dicitur. Cum *Romanis* bella gessit & ab iisdem victus pretiosi hujus Achatis jacturam simùl fecit. *(α)*

TH. XXIV.

Sanctorum insignia sunt diversi generis, inter quæ præcipua sunt *Prophetarum*: sic *Mosis insigne virga* semper fuit habita, quod miraculorum illius fuerit quasi operatrix. *(β)*

TH. XXV.

Apostolorum & Evangelistarum insignia antiquæ picturæ denotant. Sic *Matthæi insigne* exhibetur *Angelus*, vel, quod *aliis* placet, *Homo*, *Marci Leo*, *Lucæ Taurus*, *Johannis Aquila*. De quibus quidam ita sentiunt, quòd *Matthæus* scripserit de Dn. nostri *Jesu Christi* genealogiâ, ut *homo*; *Johannes* de divinâ, ut *Aquila*; *Lucas* de passione *Servatoris* prolixiùs cæteris, ut *taurus victimarius* in V. T. *Marcus* de resurrectione, ut *Leo*, quem catulum natum, aut lethô ipsô, aut somnô lethali jacentem, die tertiô horrendùm rugientem suscitare, perhibent *quidam*. Quò spectare putant etiam illum Scripturæ locum, *(γ)* ubi *Christus* appellatur *leo è tribu Juda*. Quod nos in mediô relinquimus.

TH. XXVI.

Christianorum insignia in universum, & quidem

(α) Justin. lib. 19. Plutarch. in vit. Pyrrh. (β) Exod. 7. v. 15. & 17. (γ) Apoc. 7. v. 5.

omnibus viventibus communia, *hæc* esse dicuntur: *Crux, corona spinea, clavi, lancea, stigmata Domini &c. alia* recensentur ab Ethnicorum Doctore, *Paulô.* (a)

Th. XXVII.

Seqvuntur nunc *Insignia Pontificialia*, quæ *in genere dignitatis Ecclesiasticæ* eminentioris *ornatum* significant: in *specie* verò sunt *Indumenta*, quibus *Pontifex* inter omnes Sacerdotes præfulgere molitur. Quæ cùm non semper uniusmodi permanserint, hæc reperiuntur eminentiora: I. *Mitra* & *Corona triplex.* II. *Sceptrum.* III. *Acclamatio.* IV. *Cathedra*, Germ. der Römische Stuhl/ in quâ sedenti *Papæ* pedem dextrum osculari solent. V. *Vestis purpurea*, sive *Chlamys.* VI. *Pallium.* VII. *Crux.* VIII. *Eqvus albus.* IX. *Calcaria aurea.* X. *Frenum.* XI. *Sandalia cruce insignita.* XII. *Parafrenus albus.*

Th. XXVIII.

Legati Pontificis cum *Pontifice insignia* habent communia.

Th. XXIX.

Cardinalia insignia nihil aliud sunt, quàm symbola quædam, debitam fidem, Religionem, justitiam publicæque rei Zelum ab ipsis Cardinalibus, ad sangvinis usq; effusionem, commemorantia. Eorum autem *insignia* propriè sunt: I. *Mitra rubea.* II. *Vestis candida.* III. *Eqvus albus.* IV. *Sandalia* cum *Udonibus.* V. *Annulus aureus*, & similia.

Th. XXX.

Patriarcharum insignia sunt *Pallium* & *Crux.*

Th. XXXI.

Episcoporum insignia sunt: I. *Pallium.* II. *Crux.* III. *Baculus.* IV. *Mitra.* V. *Petasus.* Th.

(a) *Eph. 6. 13. seqq.*

TH. XXXII.

Et, quod ferè omiseramus, præter hæc etiam *Cardinalibus linea vestis, chirotheca, annulus* & reliqua ornamenta, quæ lege antiquâ Sacerdotibus erant mystica, concessa putantur (α)

TH. XXXIII.

Abbatum insignia sunt: I. *Infula*. II. *Baculus*. III. *Annulus*. IV. *Chirotheca*. V. *Sandalia*.

TH. XXXIV.

Canonicorum insigne, quô amiciuntur, est *Tunica candida*, cum *lineâ togâ*, sub *palliô nigrô*: tegumentum à scapulis interpositum, cervicem totumq; contegens caput, præterqvam à fronte.

TH. XXXV.

Sacerdotum & *Pastorum* Ecclesiæ *insignia*, recensente *Dn. Meisnerô*, sunt *Pellis ovina, fistula, pera, baculus*, & similia. Qui videri potest. (β)

TH. XXXVI.

Seqvuntur nunc *Ordinum insignia*. Sunt autem *ordinum* genera duo: vel enim sunt *ordinum religiosorum*, vel *non religiosorum*. *Ordinum religiosorum insignia* sunt, vel *Clericorum* vel *Militum sacrorum*.

TH. XXXVII.

Clericorum & *ordinum religiosorum insignia* omnia recensere, infinitus esset labor. De quibusdam igitùr speciebus tantùm hîc agendum. Sunt *Monachorum Augustinorum insignia stola nigra*, & *Apostolicorum vestis ex pellibus caprinis confecta*, & *stola candida*. *Benedictini* utuntur *nigrô colore, tunicâ laxiore & distinctâ*, ad pedes

(α) *Polyd. Vergil. de invent. rer. lib. 4. c. 7.* (β) *in medit. Evangel. Misericord. Dom.*

usq; demissâ, cucullô capitis in humeros & scapulas breviùs rejectô. *Bernhardini* habent *tunicam nigram super palliô albô.*

Th. XXXVIII.

Seqvuntur nunc *Militum sacrorum insignia*, quorum antiquissimi sunt *Equites S. Sepulcri.* Illorum *insignia* sunt *Quinque rubei coloris cruces.* (α) *Hospitalariorum Equitum insignia* militaria sunt *arma*, quibus *baltheum rubrum*, militari *ense* munitum, cum albâ *cruce* superinduunt, exteriùs verò *chlamyde* atri coloris cum albâ *cruce* octogenâ utuntur, idq; parte sinistra. Hinc plerique in *pace albâ*, in *bellô* autem *rubrâ cruce* conspicui existunt. *Templariorum Equitum insigne* est *pallium candidum* cum *rubeâ cruce.* (β) *Teutonicorum Equitum* indumentum, qnod pro *insigni* est, *pallium album* nigrâ *cruce* insignitum. (γ) *Equites Gladiati* præter *crucis insigne*, in vestibus gerebant *gladios*, his ipsis innuentes, se militaturos pro defensione fidei contra paganos. (δ) *Equites Divi Jacobi*, sive bellum, sive pax sit, signantur *cruce*, quæ ante pectus militaris spathæ capulum exprimit. (ε) *Equites S. Trinitatis* pro *insigni* habent *pallium album*, coeruleâ & rubenti *cruce* insignitum. *Militum Jesu Christi insigne* est *crux*, partim rubea, partim candida, in nigrô affixa palliô. (ζ) Sunt adhûc quàm plurimorum Ordinum *Equites*, quos omnes recensere, operæ pretium non esse, duximus, quia à diversis & plurimis *Historicis* describuntur: sufficiant nobis *ennumerati.*

Th. XXXIX.

Dicendum nunc de *ordinibus non religiosis* corumq;

(α) *Limn. J. P. lib. 6. c. 2. n. 63.* (β) *ibid. n. 61.* (γ) *n. 62.* (δ) *n. 67.* (ε) *n. 67.* (ζ) *n. 70.*

rumq; *insignibus.* Sunt autem ea vel *Equitum in specie* sic dictorum, vel *Academicorum.* Et sunt *Equitum insignia*, sive ornamenta militaria: *Annuli aurei*, *Torques*, *Armilla*, *Cingulum militare*, & similia.

TH. XL.

Torquatorum Equitum insigne peculiare est *Torques*, à quô etiam *Torquati* dicuntur, eò quòd *torquem* aureum deferant collo præcipuè dependentem.

TH. XLI.

Periscelidis Equitum, Germ. die Ritter von Hosenband / aliter etiam *Equites Divi Georgii* appellati, *insignia* præter *collare* sunt *Divi Georgii crux* rubea prægrandi scuto albo adpicta, cum *chlamyde* & *periscelide*.

TH. XLII.

Aurei velleris Equitum, Germ. die Ritter vom güldenen Fließ / *insigne* est *catena aurea* affabrè facta, cujus articuli repræsentant ferrum, ad eliciendum ignem parâtum, & lapides, eundem in usum, flammas evomentes, ad extremum catenæ *agnus* jungitur *inauratus.* (α)

TH. XLIII.

Equitum Annunciationis Mariæ (quos ob *Torquem*, quem gerunt, ad hanc classem referimus) *insignia* sunt *collare* seu *Torques aureus*, à collô pendens; nodis Gordiis intermixtis, literis F. E. R. T. (quod interpretantur, *Fortitudo ejus Rhodum tenuit*, appensá imagine *Angeli Gabrielis*, ad B. *virginem* accedentis. (β) *Equitum S. Michaëlis insigne* est *torques* aureus collo appensus, à quô pendet imagó *Archangeli Michaëlis* insculpta.

TH. XLIV.

Equitum auratorum peculiare *insigne* est *calcar au-*

(α) *Limn. I. P. lib.6.c.2.n.21.* (β) *Limn. lib.6.c.2, n.37.*

reum, quod in locum annulorum aureorum successit, quamvis & ense ubivis locorum cingendi veniant. Et hodiè regulariter hi *Equites* pro insignibus habent *calcaria* & *ensem*. Et hæc sufficiant de *Equitum insignibus*, propriè sic dictorum.

Th. XLV.

Dicendum etiam de *insignibus Academicis*, & quidem primò de *Rectoralibus*. Sunt autem ea: I. *Sceptrum*. II. *Paludamentum purpureum*. III. *Matricula*. IV. *Pedelli*. V. *Sigillum*. VI. *Liber legum*, sive *statutorum* & *privilegiorum Academicorum*. VII. *Claves elati Consistorii & carceris*. De *Doctoralibus* etiam pauca. Eorum *insignia* sunt: I. *Cathedra*. II. *Liber*. III. *Biretum* sive *Pileus*. IV. *Annulus*. V. *Osculum*. VI. *Benedictio*. Et sunt hæc *insignia dignitatis Ecclesiastica*. Pauca nunc quoq; dicenda de *insignibus dignitatis secularis*.

Th. XLVI.

Sunt autem *ea* præeminentiæ alicujus secularis compendiosa symbola, quæ dividuntur in *Regia*, *Imperatoria*, *Ducalia* & *Heröica*.

Th. XLVII.

Initium autem nos facimus de *veterum Regum Romanorum insignibus*, & fuerunt ea *Romulo vestis purpurea*, quam *trabeam* vocant, ac *sella curulis* & XII. *lictores*. Sed posteà *Reges Romani* sequentes mutârunt hæc *insignia* in *coronam auream*, *sellam eburneam*, *sceptrum in cuspide habens aquilam*, *tunicam purpuream auream distinctam*, *togam pictam purpuream*, *annulos*, *paludamenta*, *fasces*, *phaleras*, *omniaq;* denique decora & *insignia*, quibus *Imperii dignitas* eminet. *Senatûs Romani insignia* fuêre *Calcei lunati*. *Consulum insignia* fuerunt *toga picta*, sive

trabea

trabéa consularis, *fasces* cum *laurô*, *secures & calcei aurati*. *Dictatorum insignia lictores*, *secures*, & id genus alia fuisse, traditur. *Magistrorum Equitum insignia lictores* VI. fuêre. Ad *pratorio prafectos* quod attinet, illi *fascibus*, *lictoribus*, *cingulò militari*, *gladiô* aliisque gaudebant. *Proconsulum insignia*: *fasces*, *sella curulis* & VI. *lictores* erant. *Pratorum*: *Hasta* & *gladius*. *Prasidum* & *Legatorum Casaris*, præter *insignia* regia, *fasces* & *gladius* fuerunt. *Imperatorum veterum* (quos etiam huic §. includimus) *insignia* erant: I. *Ignis pralatus*. II. *Purpura*. III. *Diadéma*, IV. *Sella Imperatoria*. V. *Fasces*. VI. *Imagines*, VII. *Titulus*. VIII. *Acclamatio*. IX. *Pracentio*. X. *Congiarii exhibitio*.

TH. XLVIII.

Nostri *Romanô*. *Germanici Imperii insignia* hodiè sunt: I. *Corona*, quæ *triplex* exhibetur, *Ferrea*, *Argentea* & *Aurea*, clausa superiùs pomô aureô, cui *crux* pro apice est. II. *Sceptrum*. III. *Ensis strictus*. IV. *Solium regium*. V. *Pomum aureum*. VI. *Amictus*, qui est *purpurea vestis*, *Mantellum*, cui Phrygiô opere intextæ *aquila aurea*, *cirotheca* unionibus ornatæ, *ocrea Caroli* M. &c. VII. *Osculum*. VIII. *Pracentio* & *bombardarum tormentorumq́; displosio*. IX. *Bovis tostio*. X. *Congiarii* sive *missilium exhibitio*. XI. *Vini profusio*. XII. *Caroli M. gladius*, & id genus alia.

TH. XLIX.

Seqvuntur nunc ordine *insignia Electoralia* & ornamenta, quæ in Ecclesiasticis sunt *pontificialia* illa, de quibus θ. XXVII. egimus. In *secularibus* verò *Electoralis ornatus* est *mitra*, intùs pelliculata more Ponticô, & aliquam pellis partem foris prominentem habens, ut & toga & penula, id est, vestis longa & talaris; solus *Rex Bohemiæ* in capite *coronam* gestat.

TH. L.

TH. L

Ducalia insignia apud *Archiduces Austriæ* sunt: *Pileus ducalis*, *baculus* & *vestis* regiô habitu, ab *Imperatore Friderico I. Austriæ Duci Henrico* datus. *Ducum* reliquorum, *Principum, Marchionum, Comitum* & *Baronum* cùm in hôc ornatûs genere certa & definita non sint *insignia, ex ipsâ de feudô regali investiturâ*, quæ pro cujusq; loci consvetudine, *juxta* πολυθρύλλητον, χῶρα καὶ Νόμος, variat, peti possunt. Sic investiuntur *Duces* de *ducatu* per impositionem *pilei aurei ducalis*, unionibus ornati: *Marchiones* de *Marchionatu annulô*, in quô *rubinus*, quem imponit digitô mediô *Marchionis princeps*: *Comites* de *Comitatu annulô* cum *adamantis* gemmâ: *Vice-Comites* de *vice-comitatu virgulâ aureâ* datâ: *Barones vexillô* seu *labarô*. (α)

TH. LI.

Sunt etiam quædam *insignia communia*, quæ omni ætate *gens, natio*, *populusq;* sua asseruit; quædam *propria*, quæ *certæ* alicui *personæ* competunt. *Communia* ideò dicuntur *insignia*, quia omnibus ferè gentibus in more positum fuit, ut speciale aliquod signum militare haberent, quò faciliùs cogi & in unum convocari milites possent. *Propria* cujusq; personæ *insignia* sunt illa antiquorum *Heroum, Regum, Ducum* & *Nobilium* arma, *intersignia* dicta.

TH. LII.

Porrò *insignia* quædam *nobilia*, quædam *non-nobilia*, sunt. *Nobilia* hodiè potissimùm recensentur ea, quibus *galea perforata*, (quam nos *apertam*, ein offner Helm/ vocare consvevimus) interdùm *coronâ* exornata.

(α) *Non-*

(α) *Petr. Gregor. Syntagm. Jur. univers.*

(α) *Non nobilia* ſunt, quæ *galeam* habent *clauſam*, vel cancellis non diſtinctam. Ubi nota: Non tamen ſemper *Nobiles* ab aliis *non-nobilibus apertâ galeâ* diſtingvuntur, quia ſæpe numerò *Comites Palatini* poſſunt *aperta galeæ privilegium*, Germ. Ein Wapen mit einem offnen Helm/ dare, *nobilitatem* non poſſunt. (β)

Th. LIII.

Inſignia denique ſunt vel *ſimplicia*, vel *compoſita*, *antiqua* vel *nova*, *propria* vel *aliena*, *vera* vel *ficta*, ſive *falſa*, & *nobiliora*, vel *minùs nobiliora*.

Th. LIV.

Unde omnia hæc *inſignia* enumerata originem traxerint, variæ ſunt variorum ſententiæ. *Quidam* autem ea ab *Hebræis* originem ſumſiſſe, dicunt, & de *Davide*, eum *leonem* pro *inſigni* habuiſſe, perhibent, fortè ob id, quòd *leonem* necâſſet. *Alii* ab *Aſſyriis* originem deducunt, eos enim nunquam in publicô ſine *ſceptrô* comparuiſſe, teſtis eſt *Clariſſ. Dn. Limnæus*, quem hîc adeas. *Alii Ægyptios*, *alii Cares*, *alii Trojanos inſignium* exhibent autores. (γ)

Th. LV.

Ea eſt etiam apud *JCtos* opinio, â *Juliô Cæſare Aquilam* in clypeô deferente, *inſignia* ſumſiſſe initium. *Quidam* ab *Henricô Imperatore* circiter annum Chriſti 986. *Teutonica* primùm *inſignia* exordium accepiſſe, autumant, cùm *ludorum Trojanorum*, ſeu, ut nos appellamus, *Torneamentorum*, Germ. Thurnir/ revocaret exercitium.

Th. LVI.

Ea omnium veritati magis conſona videtur ſententia,

C

(α) *Limn. J. P. lib. 6. cap. 6. n. 14.* (β) *Beſold. theſ. pract. voc.* Wapen. (γ) *Limn. lib. 6. c. 6. n. 8.*

tentia. Ex *jure gentium* ortum habere hoc armorum genus, non enim facilè gentem invenias, cui *insignium* non cognita sit observantia, usq; adeò, ut & in *Americâ* aliisq; *insulis* novissimis *insignium* horum σχῆμα ab illarum inventoribus deprehensum fuerit & agnitum. (α)

Th. LVII.

Nunc, quibus *causis* & *occasionibus* impellentibus *insignia* data, concessa & assumta, dicendum. Est autem *insignium* assumptorum & concessorum prima causa *virtus militaris*. Veteribus enim in more positum fuit, iis, qui grave aliquod periculum à Republ. propulsassent, in gratiam propulsationis defensionisque memoriam, clypeum, qui rem gestam imaginibus explicaret, dare, imò iis solis, qui in bellô strenuè sese gesserant, & nulli alii dabantur, nec consequi extra militiam licebat. Ideò ii, qui militatum abibant, primò clypeum & scutum purum gestabant, id est, nulla in eô erat imago seu pictura, donec aliquid heröici & fortis pro Republ. fecissent, tunc pro condicione *viri* & *facti* dabantur clypeo inscribenda *insignia*. Sic apud *Romanos* forti in hostem dabatur *leo*; *defensori pudicitiæ* fœmineæ *monoceros* in galeâ, &c.

Th. LVIII.

Secunda insignium, ex quâ deferuntur & assumuntur, causa est *Ortus*. Sic *Alexander* M. quòd *Olympiadem* matrem à *Dracone* sub specie *Jovis Ammonis* compressam, ex illô genitum simulabat, *anguem in insignibus infantem vix natum ore evomentem* gestavit, quò se *Jove* natum per ambages ostenderet. (β) Tali modô *Elector Moguntinus* pro *insigni rotam* habet, ut ortum suum à *Willigisô*, patre rhedariô, indicet. (γ)

Th. LIX,

(α) Limn. lib. 6. c. 6 n. 9. (β) Camer. hor. succis. cent. 2 c. 9. (γ) Casp. Brusch. in catal. Episc. Mogunt.

Th. LIX.

Tertia *insignium*, ex quâ eliguntur, causa est *conditio* & *status vitæ*. Constat enim, antiquos militaris rei peritissimos, in eligendis sibi armis, bellica assumsisse instrumenta, veluti *Cassides, Scuta, Hastas, Enses*, & id genus alia, quò se bello interfuisse, significarent. Ita etiam *Nautæ* sibi eligunt *Remos, anchoras* &c.

Th. LX.

Quarta *insignium* assumtorum causa est *officium*. Nam inter omnes, *illustres* etiam, invaluit officiorum *insignia* clypeis demonstrare. Hâc occasione factum, ut *Electores seculares* ea, quæ *Imperatori* præferunt *insignia*, clypeis suis exposita habeant.

Th. LXI.

Quinta *insignium* concessorum causa est *fidelitatis promissæ perseverantia*. Sic à *Ludovicô Bavarô* Duce *fratribus de Pratô*, ad denotandam eorum fidelitatem, concessum est pro *insignibus* habere *leonem coronatum*.

Th. LXII.

Sexta *insignium* assumptorum causa est *expeditio in terram sanctam* facta. Sic *Principes* & *Dynastas*, & *Comites* per *Belgium* & vicina loca, cùm bello sacro nomen dedissent, uniformia *leonum insignia* assumsisse, refert *Besoldus*. (a)

Th. LXIII.

Septima *insignium* concessorum causa sunt *benemerita*. Sic *Imperator Maximilianus* I. *Erico* seniori, Brunsvicensium Duci, duodecies in acie stanti ac *Imperatori* aliquot in præliis contra *Turcas, Gallos* & alios fidelem operam præbenti, ad recolendam præclarè gestæ

 rei

(a) *thes. pract. voce* Wapen.

rei memoriam, avitis insignibus auream adjecit stellam, quæ adhûc in *Brunsvicensium Ducum* clypeô fulget.

Th. LXIV.

Octava *insignium* concessorum causa est *Religio*, vel potiùs superstitio. Sic cùm *Colonienses Magorum* accepisse corpora glorientur, (quod Pontificiis, tanquam nugigerulis, in more positum esse, animadvertimus, de hujus illiusve Sancti reliquiis apud se retentis gloriari) eorum *insignia* mutata hinc sunt in *tres coronas*, ad designandum, tres Sanctos Magos ab Oriente venientes ac *Domini Salvatoris* nostri nativitatem colentes, ab iis detineri. *(α)*

Th. LXV.

Nona assumptorum *insignium* causa videtur *nominis convenientia*. Sic *familia Hennebergensis gallinam* habuit *nigram*, & cùm à *Columnensis* ortum se habere, profiteretur, *columnam* addidit *albam coronatam* in *campô rubrô*. Tali modô *Bernates* in *Helvetiâ* pro *insigni* gerunt *ursum*. Quin ipsam urbem *Bernam*, Germ. die Stadt Bern in Vchtland / nomen ab *ursô* accepisse, *Stumpfius* scribit, qui primus comiti urbem condituro occurrit. *(β)*

Th. LXVI.

Decima *insignium* concessorum causa est *scientia* sive *eruditio*, quia doctrina non facilè tantùm exornat generosum, sed etiam ex obscurô nobilem reddit, ita ut non tàm genus & fortuna, quàm eruditio nobiles efficiat. Sic *Bartolus* JCtus celeberrimus ab *Imperatore* pro *insignibus* accepit *leonem purpureum* cum *bicipiti caudâ in campô auratô*, ad designandam ejus virtutem & eruditionem.

(α) Lebman. Speyer *Chron.* *(β) Limn. l. 6. c. 6. n. 17.* ex *Chron. Helv. lib. 7. c. 30.*

ditionem. (α) Alii, inter quos est *Limnæus*, (β) *Baldo* à *Carolô* IV. horum *insignium* usum concessum esse, autumant.

Th. LXVII.

Undecima *insignium* assumptorum causa est *loci fertilitas*. Hoc *spicæ* & *frumentorum grana*, ut fertilitatis argumentum in *Hispaniâ* & *Africæ* orbis partibus, ita etiam in plerisq; *Siciliæ* & urbium clypeis ostendunt.

Th. LXVIII.

Duodecima *insignium* assumptorum causa est *eventus, casus* vel alia aliqua occasio. Nam sicut benè ac feliciter gesta, nonnunquam etiam infeliciter & causæ aliæ ansam & occasionem *Ducum*, *Principum*, *Heroum*, *militum*, imò etiam *populorum*, *civitatum* & *oppidorum insignibus* dederunt, ita quoq; cæteris *privatis* & *familiis*. Tali à casu assumptum *insigne* est *Abbatia de Stablô*. Perhibent enim, conditorem hujus monasterii usum fuisse asini ministeriô, ad materiam comportandam, quem cum lupus devorâsset, lupum damnâsse, ad subeundas asini vices eumq; se morigerum præstitisse &c. Hinc est, inquimus, ut conditor *lupum onera portantem* in hujus loci *insigne* assumserit.

Th. LXIX.

Decima tertia *insignium* assumptorum causa est *arbitrium, lubitus* & *ingeniosa fictio*. Nam in *insignibus* nulla rerum connexio, nihilq; commune in illis inveniri potest, à quô sensim per media ad extrema rectô ordine procedatur; sed quisq; pro arbitriô modò hoc, modò illud nobilitatis *signum* sibi eligit.

 Th. LXX.

(α) *Jovius in elog. vir. doct.* (β) *J.P. lib.6. c.40.n.41.*

Th. LXX.

Decima quarta *insignium* causa est *armorum victi abdicatio & nova per victorem assumptio*. Nam usu interdùm evenit, ut, qui ab aliis victi essent, abdicare *insignia* sua cogerentur. *(a)*

Th. LXXI.

Decima quinta *insignium* causa est *aggregatio*. Nam quando una gens vel confraternitas aggregatur alteri, ejus vigore non solùm potest, verùm etiam debet uti alterius gentis vel confraternitatis insignibus. Atq; hæc ipsa eò magis procedunt, quando intervenit concessio superioris *Imperatorῡ*, *Regis* vel *Principis*.

Th. LXXII.

Sufficiant hæc de *causis*, quare *insignia* concessa vel assumpta existant: dicendum nunc etiam de his, quibus jus deferendi insignia primariò tàm suô, quàm alterius nomine competit, & iis, qui ab insignium delatione arcentur. Competit autem jus illud *Imperatori*, *Regibus*, *Electoribus*, *Episcopis*, *Principibus*, *Pontifici R. Nobilibus*, *Doctoribus*. De singulorum *insignibus* pauca quædam adjicienda.

Th. LXXIII.

Pontifices igitùr propria sua habent *insignia*, *claves* & *tiaram Pontificiam* sive *triplicem coronam*: qui ritus primùm circa annum Christi 1045. introductus fertur à *Clemente* II. *Pontifice*, cui solenne fuit gentilitiis uti *insignibus*. Hunc secutus est *Leo* X. *Victor* II. *& successores subsequentes alii*, morem hunc adhûc observántes.

Th. LXXIV.

Imperatoris nostri insignia sunt *duæ aquilæ*, nigri coloris, corona-

(a) Besold. thes. pract. voc. Wapen.

coronatæ, crucisque signô adornatæ. Originem autem & principia, quibus *Aquila* ad S. *Romani Imperii* scutum traducta & translata sit, quod attinet, sic se habet. Erant olim apud *Romanos*, invalescente Imperiô, in bellicis expeditionibus cùm educenda esset acies, certa & ordinata, quæ singulos ordines anteirent, militiæ signa, veluti *lupi, minotauri, equi, apri, aquilæ*, & id genus alia, pro variô scilicet Imperatorum arbitriô: & licet *aquilas Romulus* & *Remus* in Sacrô Aventinô monte viderint, observantes auspicia, cò quòd Aquila omnium cæterarum avium sit Regina, prosperrimi imperii signum esse, voluerunt, non tamen illicò *aquilam*, sed *fœni manipulos* militaribus signis assignârunt; crescentibus bellis, *lupi*, *minotauri*, *equi*, *apri* & *aquilæ* subsecuta sunt signa. (α) Inter quæ cùm *aquila* solùm in acie, reliquis in castris relictis, portari cœperat, tandem *C. Marius* II. Cos. (cùm argenteam sive candidam hanc, quòd fulgentior ex hôc atq; conspectior foret, fecisset aquilam, ejusque usum Prætoriis cohortibus concesisset) militaribus aliis signis abdicatis & abolitis, aquilam Romanis regionibus propriè dicavit, atq; inde *Romani Imperii insigne aquila* fuit habita. (β) In super quidam sunt, qui *Aquilam à Trojanis*, quidam à *Persis* ad *Græcos*, à *Græcis* ad *Romanos*, à *Romanis* ad *Germanos* translatam esse, putant.

Th. LXXV.

De Causis & scopô, quare *Romani* veteres *aquilam* in signum militiæ assumserint, variæ sunt variorum opiniones. A *quibusdam* autem ea assignatur, quòd *Jupiter* in bellum contra *Saturnum* Patrem egrediens, *aquilam*

(α) *Besold. thes. pract. voc.* Adler. (β) *Joseph. de bell. Judaic.*

lam victoriæ nuncium primum viderit, ejusq; auspiciô vicerit. (α) A *quibusdam* etiam ea assignatur, quòd *aquila* magnarum rerum prosperi semper eventûs significatione auspicia faceret, & cæteris violentæ ac magnificæ victoriæ omen contra quoscunq; bellô à *Romanis* petitos præberet. (β) *Quidam* etiam talem assignant causam, quòd peculiariter *aquila* imperia magna & excellentia, Regesque notet. Sic ipsô *Alexandri* M. natali die *aquilæ* duæ supra culmen domûs insiderunt, omen duplicis Imperii, *Europæ* & *Asiæ*, præ se ferentes. Ea etiam causa assignari potest, quòd *aquila* avium cæterarum sit robustissima, & rostrô ungvibusque omnes præcellat: Ita etiam *Romanorum Gens felicissima*, armorum & legum præsidiô Rempubl. conservans, vimq; suam inde muniens, omnes debellare gentes, omnibus anteponi nationibus, omnibusq; minari populis, tàm præteritis effecit temporibꝰ, quàm, Deô propitiô, in æternum efficiet. (γ) A multis etiam hæc assignatur causa, quòd *aquila* pro Regina omnium reliquarū avium habeatur.

TH. LXXVI.

His *Romanæ aquilæ* causis & principiis expositis, nunc etiam, *per quem* ea primo clypeo inserta fuerit, dicendum, de quô etiam variæ variorum opiniones. Nos singulos nominatim proferre supersedebimus: quod alibi etiam fecisse nos, *Lector benevolus* animadvertet, ubi nempe vidimus, catalogum *Autorum* fore prolixiorem, potiores tantùm allegavimus. Quod etiam hîc faciemus. *Quidam* (ut ad scopum revertamur) *Cajo Mario* hoc asscribunt: *quidam Julium Cæsarem* Autorem statuunt.

TH. LXXVII.

(α) *Besold. disc. de jurisd. Rom. Imp.* (β) *Joseph. de bell. Jud.* (γ) *de Conf. Justin. C.*

Th. LXXVII.

De *figurâ Aquilæ* externæ variæ etiam sunt opiniones. *Quidam* enim *argenteam* statuunt, quòd fulgentior ex argentô, quàm ex aurô foret, & conspectior, clarior magisq; diei similis sit. *Quidam* eam *auream* exhibent, & Cæsarem *auream aquilam in campô purpureô* habuisse, posterioribus tamen temporibus *candorem* fulgoremq; *aquilæ* in *nigrorem* conversum fuisse, & hoc per *Caroli M. successores Francos* aut *Germanos*, cum adjectione *aurei clypei*, & *fulvi vexilli* factum esse, ferunt. Hoc autem à *Juliô Cæsare* vel *Octavianô Augustô* primò factum esse, *quidam* etiam existimant. Sed quid per *colorem aureum* significetur, in *Reformatione suâ* (α) *Sigismundus Imperator* explicat, recitante *Limnæô*: (β) Der Adler ist in einem güldenen Feld/ bezeichnet GOtt den HErren/ des Sonnenklar scheinet und der macht Ruh/ von dem alle Frucht entspringet. Der Adler bezeichnet uns die hohen Adelschafft/ die wir so gar von Himmel darein bezeichnen/ Verkündigung auf dem Erdreich der Nacht/als es schwartz ist/ da uns Johannes der Evangelist so ehrlichen in des Adlers weiß ermahnet. Aber das Gold/in dem der Adler gefigurirt ist/bedeutet uns die klare Göttliche Schöne und Kostbarkeit des scheinenden ewigen Glantz/ Klarheit und allerkostbarsten Lauterkeit.

Th. LXXVIII.

Bicipitem esse hanc *aquilam*, omnibus notum est; sed quando talis facta, & an verè *biceps*, an verò *duæ* sint *aquilæ*, variæ etiam sunt opiniones. *Quidam* enim *bicipitem aquilam* esse, & hujusmodi figuræ per *Constantinum*

(α) *c.26. apud Goldast. tom.2.* (β) *J. P. lib.1. c. ult. n.28.*

num M. prima data fuisse primordia, & quòd aquilam annô Imperii sui 28. τῆς χειροτονίας verò 337. *bicipitem* fecerit, divisum q; per eum Imperium in *Orientale* & *Occidentale*, conjecturam faciunt. (α) Idem etiam opinionem suam defendere conantur, quòd *in Recess. Imperii* (β) *bicipitis aquilæ* mentio fiat, hisce verbis: Unsere und des Reichs Adler mit zwey Köpffen. Sunt *alii* existimantes, quòd licet *aquila* Imperii *insigne* sub unô corpore duo capita habeat, attamen fissam esse *aquilæ* imaginem à *Carolô* M. Germanorum, & *Nicephorô*, Græcorum Imp. conventione, qui ita societatem inivêre, ut *Carolus Occidentem*, *Nicephorus Orientem bicipitis aquilæ* auspiciisq; gubernarent, indeq; *bicipitis aquilæ* ortum esse, idq; factum putant, recensente *Limnæô* sæpè laudatô, annô Christi 776. post conditam *Romam* 1552. annô *Imperii Caroliani* 33. (γ) Sunt præterea alii, qui Imperii *insignibus* originem assignant ex *Svetonii* istâ relatione, quâ describit *Germanos* &c. Conferatur hîc, si collubitum sit, *Clariss. Limnæi Jus publicum.* (δ) *Quidam* ideò hanc *aquilam bicipitem* esse, credunt, quòd, uti notum est, *Rex Hispaniæ* æquè in *insignibus aquilam* gerat, ac *Imperator noster Germanus*, atq; tùm demùm, si in unam personam *Imperatoris* ac *Regis Hispaniæ* Majestas concurrant, *bicipiti aquilâ*, ad utrumq; Imperium & Majestatem demonstrandum, utatur. *Eorum* autem sententia verissima videtur, qui putant, non *bicipitem aquilam* habendam esse, sed *duas, in unam sic mixtas, & expansis alis sese invicem obtegentes*

(α) *Dresser. isag. histor.* (β) *de an. 1559. tit.* von Müntz-Ordnung. §. wie aber 2c. (γ) *lib. 1. c. 14. n. 10.* (δ) *d. l. n. 16.*

tegentes aquilas esse. Quòd si secùs esset, malè *Fridericus Imperator aquilas victrices* in pl. num. appellitâsset.

Th. LXXIX.

Quare *aquila* vocetur *Roma*, paucis etiam dicendum. Fit autem hoc, secundùm *quorundam* opinionem, tùm, quòd hodiè in locum *urbis Romanæ* successit *orbis Romanus*, & ideò hodiè *Roma* non ampliùs *caput*, sed *pars* sit *Imperii Romani*, adeòque omnes, qui in *Imperiò Romanô* militant, acsi *Romæ* militarent, habendi essent, tùm, quia populus Romanus idem dicendus, qui olim fuit, quanquam accessione extraneorum mixtus sit, mansitq; penes eum Imperium, tanquam penes corpus, in quô esset ac viveret. (α) Atq; hinc esset, quòd adhùc hodiè *Imperium nostrum Germanum* vocetur *Romanum*, quia *insignia* nostris temporibus eadem, quæ olim apud *Romanos* fuère. Imò *Carolus* M. bellicâ virtute cum *Romanô Imperiò* ipsam *Romam Germaniæ* inseruit ac, ut ita loqui nobis liceat, quasi implantavit, ut hodiè *Roma* non ampliùs in *Italiâ*, sed potiùs in *Germaniâ* quærenda sit: & *semper Roma est*, quod dicunt, *ubi Imperator est*.

Th. LXXX.

Quare *aquila coronata* sit, etiam videndum. Factum autem illud ipsum esse, *quidam* arbitrantur, quòd soli *aquilæ*, tanquam avium cæterarum Regi, *corona* debeatur, vel quòd more antiquô non solùm aquilarum, sed etiam leonum, taurorum, & aliorum animalium imagines coronâ adornatas per Principes gestari invaluerit. Conf. th. LXXIV. Vel etiam, ut sit certum præeminentis dignitatis imperialis signum, qvalem scil. in mundô habeat *Cæsarea sublimitas*. (β)

(α) *Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 9.* (β) *Besold. thes. pract. voc.* Adler.

Th. LXXXI.

Tandem *aquilam crucem* pectoris globo Imperiali insculptam pictamve gestare, cernimus, & *Imperatorem nostrum orbis Dominum & Christianum* esse, monstrat, cùm omnium Christianorum *insigne* sit *crux*, & *Ecclesiæ Christianæ tutorem, advocatum & defensorem esse*, *satis arguit.*

Th. LXXXII.

Sufficiant hæc de *Imperatoris aquilâ bicipiti*: pauca etiam addenda de *insignibus & sigillis Regis Romanorum.* Sciendum autem, illa *non bicipitis*, sed *simplicis* ac *consuetæ aquilæ* figurâ efformata esse. Nam cùm *Rex Romanus Imperatorem* superiorem agnoscat, ejusq; autoritatem observare teneatur, est, quòd *Rex* electus *in insignibus* & *sigillis aquilam simplicem dextrô saltem capite prominentem, Imperator.* verò *coronatam bicipitem* gerat. *(α)*

Th. LXXXIII.

Seqvuntur nunc *insignia Electorum*, tàm *Ecclesiasticorũ*, quàm *secularium*. Primum locum inter Ecclesiasticos obtinet *Elector Moguntinensis, Sacr. Rom. Imper. per German. Archi Cancellarius*, *cujus insigne* est *rota*, principium à *Willigisô Ottonis* III. *Præceptore, Archi Præsule Moguntinô*, communiter solent deducere. Notant enim, eundem *patre rhedáriô* fuisse satum, (aliqualis etiam hujus mentio facta in Th. LVIII.) indeq;, ut suæ sibi originis sortem perpetuò in mentem revocaret; *rotam* in cubiculô suô pingi curâsse, hujus in memoriam *rotam* posteà *insignium* locô permansisse, accedente insuper *Imperatoriâ confirmatione Henrici* II. *(β)* Hujus *insignibus* visis & consideratis, nos, ordinem servantes, ad *Electorem Trevirensem* pervenimus.

Th. LXXXIV.

(α) Limn. J.P.lib.1. c.14.n.10. *(β) Limn.lib.3. c.4.n.8.*

Th. LXXXIV.

Hujus insignia quod attinet, nemo non nescit, quòd, sicut statim ab initiô *dignitas Septemviralis* ad hunc *Episcopatum* videatur translata, ita quoq; *insignia*. Verùm cùm per *Francorum Reges* jam converti *Episcopatus Trevirensis* in *ArchiEpiscopatum* cœperit, credibile est, simùl & *insignia* illico communicâsse, quæ sunt *crux rubea aureô in vellere.*

Th. LXXXV.

Electorem Trevirensem insequitur *Archi-Episcopus Coloniensis Sacr. Rom. Imper. per Ital. Archi-Cancellarius.* Et licet plura *Archi-episcopi. Coloniensis* recenseantur insignia, non tamen eandem habent originem, sed *Crux* saltem hujus *Archi-episcopatûs insigne*, reliqua partim *Westphaliæ Ducatum*, partim *Comitatum Arnsburgicum* designant.

Th. LXXXVI.

Expositis *Electorum Ecclesiasticorum insignibus*, de *secularibus* etiam aliquid addendum. Primum igitùr hodiè locum obtinet *Elector Bavariensis, Sacr. Rom. Imper. Archi-dapifer*, qui jura & *insignia*, quæ olim *Elector Palatinus* obtinuit, per *Instrumentum pacis* acquisivit. *(a)* Sunt autem ejus *insignia* & officium *pomum aureum orbis formâ* ante *Imperatorem Regemque Romanorum* præferre. Quâ verò occasione clypeo pomi aurei figura inserta fuerit, paucis etiam videndum. Et quamvis præter *Italicos* alii etiam *Exotici Scriptores* autument, clypeum esse illum, quem *Palatinus* prætulit *Imperatori*, sed figurâ *insignium Palatinorum veteri*, in quibus duobus clypeis, uni *Palatino*, alteri *Bavarico*, *Elector Palatinus* tertium in

 medio

(a) Instr. Pac. Cæs. Svec. §. 4. vers. & primò quidem &c.

mediô addebat *rubrum* totum & *vacuum*, decepti sunt, donec novâ & singulari *Caroli* V. concessione *Fridericus II. Elector Palatinus pomum* illud *aureum crucigerum* ei inseruit, ut imitatione collegarum suorum, *Saxonis* & *Brandenburgici*, & *ipse* illud, quod *Imperatori* in publicô præfert, palàm in *insignibus* suis ostenderet, sicuti Marqu. Freherus notat.

Th. LXXXVII.

Secundum obtinet locum *Sereniss. Illustriss. ac Celsissimus Elector Saxonicus*, hodiè JOHANNES GEORGIUS II. quem humillimæ ac devotionis subjectionis ergô nominamus, *Sacr. Rom. Imper. Archi-Marschallus*, qui in comitiis ac processionibus imperialibus *gladium Imperialem* seu *Regalem evaginatum strictumque Imperatori* prægestat, *in peculiaris Majestatis symbolum*. (α) Unde non solùm nomen *Protospatharii* obtinet, verùm etiam *insignia* habet *gladios duos strictos*, vel decussatim compositos. (β) Quò etiam spectat illud *Albini* (γ) inquientis: Der Chur Sachsen Wapen ist eine Fahn / so oben schwartz und unten weiß / darinnen zwey rothe Schwerter überschrencket.

Th. LXXXVIII.

Tertium obtinet locum *Elector Brandenburgensis, Sacr. Rom. Imper. Archi-Camerarius*, qui in processionibus imperialibus *sceptrum*, tanquam gubernationis indicium, *Imperatori* præfert. Et hoc ipsum *sceptrum* in *insignibus Brandenburgicis* præfulgere, notissimum est.

Th. LXXXIX.

Quartum & ultimum hodiè tenet locum *Elector Palati-*

(α) *Aur. B. c. 26. §. 3.* (β) *Limn. lib. 3. c. 10. n. 28.* (γ) *lib. d. c. 10. n. 29. ex Chron. Misn. t. 16.*

Palatinus, *Sacr.Rom.Imperii Archi-thesaurarius*, qui *Electoratus* per Instrumentum pacis annô 1648. *Domui Palatinæ*, lineæ Rudolphinæ, accessit, &c. Confer Th. LXXXVI.

TH. XC.

Electorum insignibus relatis, *Regum* quorundam *insignia* recensenda veniunt. De *Regis Galliæ insignibus* primô locô agemus. Ejus autem *insignia* sunt *tria lilia*, quæ quidem ê cœlô missa esse, statuunt. Si verò communem sequamur sententiam, *Galli* eorumq; Reges in electione *insignium* præ aliis variárunt maximè. (α)

TH. XCI.

Secundô locô agendum de *Regni Navarræ insignibus*, quæ sunt duodecim *poma aurea*, in formam *crucis* disposita. (β)

TH. XCII.

Jam etiam de *Hispanici Regis insignibus*. Ille verò in iis varias habet figuras, ut *crucem*, *vexillum*, *leonem*, *aquilam*, *castrum*, *&c.* illis ut varia, quæ sibi subjecta habet, denotet regna atque territoria, utque eò ampliora habeat, *conjugis* quoque *insignia* suis semper adjicere solet. (γ)

TH. XCIII.

Rex Angliæ tres habet *leones*, & ob prætensionem, quam in *Regnum Galliæ* sibi conservat, *tria lilia*. (δ)

TH. XCIV.

Regni Poloniæ insignia sunt alba *aquila coronota*, rostrô hiante & extensis alis. (ε)

TH. XCV.

Regum Svediæ insignia sunt *tria diademata* sive *coronæ*

(α) *Limn. lib.6.c.6.n.32.* (β) *n.36.* (γ) *n.37.* (δ) *n.38.&39.*

rona, quibus à primordiô hujus regni usi sunt. Sed deinde *Ericus* binis in clypeô *leonibus*, jubis promissis & mansvetè sibi obversis, usus est.

TH. XCVI.

Regis Daniæ insignia sunt *tres viridis coloris leones.*

TH. XCVII.

Regni Bohemici insignia vetustissimia sunt *aquila fusca* sive *nigra*, quam *Fridericus* I. in *leonem fulvum bifurcatâ caudâ* in clypeô albi coloris mutavit, & in signum Archi-pincernatûs, quatenus Elector est, unguì dextro calicem quoque aureum imposuit. (α)

TH. XCVIII.

Regis Hungariæ insignia sunt *geminæ cruces*, ad significandum, eum *Regem* & *Apostolum Hungarorum* esse.

TH. XCIX.

Reges seqvuntur *Archi duces*. Hodiè autem soli *Archi-duces Austriæ* inveniuntur, licet *Magni duces*, ut *Magnus Dux Finlandiæ*, *Magnus Dux Florentiæ &c.* existant, tamen titulô *Archi-ducis* nullus utitur. *Archi-ducum* autem *Austriæ insignia* diversas propter provincias, quas tenent, si cumulentur, varia sunt. Quatenus Austriaci tantùm sunt, *albam fasciam* hodiè gerunt, olim, uti in *Atlante* notatur, quinque alaudas aureas, in cœlestinô clypeô pictas. Ratio verò illius mutationis hæc est. Cùm *Leopoldus Austriacus* in *Palæstinâ* muros *Aconis* superâsset, albô paludamentô indutus, quod totum hostili mox sangvine tinctum apparuit, eâ parte demptâ, quæ baltheô tegebatur: unde factum, ut *area rubicans* cum *fasciâ albâ*, mediam dirimente, *insigne* deinceps *Austriis* esset: idque indultu *Heinrici* VII. *Lipsiô* annotante. (β)

TH. C.

(α) Goldast. de Regn. Boh. lib. 3. c. 14. (β) cent. sing. ad Germ. & Gall. ep. 36.

Th. C.

Magnorum Ducum. Florentiæ insignia olim fuêre *lilium candidum* in *campô rubente*. Quod bis mutârunt, in *lilium rubrum niveô* in *spatiô*, & posteà ex *candidô liliô rubenti in campô, & cæruleâ lunâ candenti in spatiô* effecêre.

Th. CI.

Et sic perlustravimus Magnatûm *Europæ* illustriorum *insignia*. An omnia? id non dixerimus, nec etiam necessarium est. Scribimus ideò, non quod debuimus, sed quod potuimus. Considerandi jam nobis venirent *Magni Duces reliqui, Episcopi, Principes, illustres* alii, eorumque clypei, *insignia* ac *sigilla*. Temporis ac chartæ verò ángustiâ hîc exclusi, Colophonem jam jam imponemus, *coronidis locô* addituri priùs aliquid de *Imperatoris Turcici, Persarum Regis* & *Magni Czaris Moscoviæ*, ut & deferendis *insignibus*. *Imperator* autem *Turcicus* pro *insignibus Semilunas*, sive potiùs tres *lunas argenteas* habet.

Th. CII.

Persarum Regis insignia esse dicuntur *imago Rhodogunes Reginæ* impressa, passis capillis conspicuæ.

Th. CIII.

Moscovitici Czaris insignia unâ in parte *imaginem hominis equo insidentis hastâque draconem transverberantis*, à tergô verò *aquilam bicipitem coronatam* repræsentant.

Th. CIV.

Non verò tàm iis, qui benemeritis suis *insignia* acquisiverunt, quàm omnibus, ad quos eorum pertinet

ſolùm illius, cujus virtute parta, ſed & hæredum, liberorum, familiæ, gentis decus ſunt, ac veluti per manus ſeræ traduntur poſteritati. (α) Et hæc de liberis maſculis vera eſſe, nullum dubium eſt, quia *filii patrem, quoad honorem & dignitatem, ſequuntur.* Tùm *pater & filius pro unâ eâdemque habentur perſonâ*, eadem ergò *inſignia* etiam habent. (β) Hæcque adeò vera ſunt, ut nihil interſit, utrum filii ante *inſignium acquiſitionem* nati, an verò poſt eam in lucem editi ſint, quia *claritas paternæ dignitatis ad liberos transfertur*, uti modò dictum eſt. Patet hoc etiam ex eô, quòd filium ante adeptum à Patre regnum natum *Regis filium* Dd. nuncupent. Deinde etiam nihil refert, ſi liberi, *patre* quidem *nobili, matre* verò *ignobili* nati perhibeantur: *mater* enim *per nuptias nobilitatem & dignitatem mariti adipiſcitur*, ſicut Dd. unanimiter ſtatuunt. (γ)

Th. CV.

Ad fœminas *inſignia paterna* tranſire, quidam negant; ſed affirmativam potiùs amplectendam eſſe ſententiam, ex *fine delationis* pateſcit, qui eſt *domum* & *gentem* demonſtrare, *antiquitatem familiæ* docere, & nonnunquam *defuncti memoriam* prodere. Et hæc ſunt, quæ, *Lector benevole*, tecum communicare volumus, *inſignia*, ut primitiis hiſce noſtris benè preceris, nec Theoninô dente rodas, ſi forſan non omnia ſunt, qualia debuerunt eſſe, obnixè rogantes & obteſtantes. TANTUM.

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα καὶ τιμὴ
εἰς αἰῶνα, ἀμήν.

Πάρεργα

(α) l. 1. l. 11. & l. 13. C. de dignit. (β) l. 22. C. de agr. cenſ. & col.
(γ) l. ult. C. de incol.

Πάρεργα παράδοξα

Miscell. complendi spatii causâ, adjecta.

1. NIhil est in Jure sine ratione constitutum.
2. Jus publicum privatô, ratione cognitionis, posterius.
3. Imperium nostrum Romanô-Germanicum in caput & membra à nonnullis rectè dividitur.
4. Nobilis à rusticô non locô, sed genere distingvitur.
5. Defensio est juris naturalis, quoad formam verò civilis.
6. Signans alienô sigillô, tanquam propriô, crimine falsi tenetur.
7. Polygamia, tanquam Jure Divinô, Canonicô & Civili improbata, nulli, nec ipsis quidem illustribus, concessa, ac in Republ. Christianâ planè non toleranda.
8. Liberi parentes ad extremam paupertatem redactos alere tenentur.
9. Privilegiorum rarior est usus in statu democraticô, quàm monarchicô.
10. Bella & belli effecta quodammodo juri naturali contraria videntur.
11. Vasallus, Dominô invitô aut insciô, feudum alienare nequit.
12. Ad nuptias perficiendas, præter legitimum contrahentium consensum, nihil desiderari ampli-

Antiquâ generis prosapiâ conspicuo nobilissimoq;

Dn. WOLFGANGO THEODORICO à Volgstädt/ Equiti Thuringo, de INSIGNIBUS *publicè disputaturo* FELICITER!

DUm, *Generose*, manu lustras *insignia* doctâ,
Insignis sistis specimen ingenii.

Singulari affectui testando adjiciebam
JOH. ERNESTUS GERHARDUS,
SS. Theol. D. P.P. & h.t. Acad. Rector.

SUnt *curvæ in terris Animæ & cælestium inanes,*
Quas non insequeris; major te Spiritus armat.
Evigilata â Te proprio compôsta labore
Magnatum doctè profers *Insignia*. Perge,
Insignem Generis splendorem animosus adauge.

Generoso Domino Autori amicè gratulat.
JOHANNES VOLK. Bechmann/ D.
Præses & Designat. Academiæ Rector.

SCandere nituntur frustrà virtutis ad arcem,
qui magis oderunt asperitate nihil:
Ceu qui radices montis defixus ad imas
unô non passu culmen adire potest:
Ardua sic virtus sublimi in sede moratur,
qua nisi per lentos non finit ire gradus.
Hoc Volgstęde *sciens, clarum natalibus ortum*
qui ducis, priscâ & nobilitate micas;

Tendis

Tendis per sentes Virtutis culmen ad altum,
cujus non novit vivida fama mori.
Musarum in stadio curris, pradivite versas
artes Palladias gnaviter ingeniò.
Perge ita: non erras: veniet cùm serior atas,
gaudebis, fixum te tetigisse scopum.
Et Tibi *quam meruit Majorum mascula virtus,*
aucta novis meritis, gloria major erit

Nobilisſimo Dn. Reſpondenti, Convictori ſuo perdilecto gratulationis ergò appon.

JOHANNES MUSÆUS, D.& P.P.

ET genus & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra vocó; quid avorum antiqua ſonare
Nomina, quid teſtes meritorum *inſignia* præſtat.
Nil virtus tranſcripta juvat, qui quærit avitum
Marte vel arte decus geſtis ſuperare, ſuorum
Laudibus eſt dignus, jactatq; inſignia jure:
Volgſtedi clari generis generoſa propago
Sic benè nobilitas vexilla & ſtemma coruſcum
Arte viam quærens, ſcrutans *Inſignia* doctè,
Certè *inſigne decus claris inſignibus* addes.

Gratul. hac adiiciebˀ.

DVm doctè, quid sint, valeantq́; Insignia, monstras,
Grande insigne tibi comparat iste labor.
Inclyta sic virtus, sic gens antiqua coruscant
In te, quem meritò gloria lausq́; manent.
Perge igitur; DEUS ex votô tua cœpta secundet:
Nobilis insignis sanguine & arte fies!
Magna, precor, Themis alma insignia tradat, amice,
Proq́; labore Tibi præmia larga ferat!

In honorem
Verâ nobilitate, antiquâ prosapiâ, & eruditione satis laudandâ admirandaque conspicui Dn. Respondentis, Amici sui honoratiss. dilectiss.
F.

Hieronymus Mühlpfort/ J.V.D.
Cur. Prov. Sax. Advoc. Ordin. Sen.
& Consil. Hoenl.

INsignis ortu, nobilique stemmate,
VOLGSTEDE, noster pridem amor, quàm polleas
Virtute pariter, ingenîque dotibus,
Hæc erudita sat docent INSIGNIA,
Tibi ê cathedra mox tuenda fortiter.
Conata laudo, digna stirpe nobili; ac

Olim

Olim ut decus ſis patriæ, utque honoribus
Inſignis atque clarus evadas, precor.

Honori Generoſi ac Nobiliſſ. Dn. Reſpondentis; amici & convictoris quondam mihi cariſſimi, gratulab. deproperabam
JO. ANDREAS BOSIUS.

LIterulæ *argenti* Plebeis: Nobilibusq;
auri ſunt, gemmæ Principibusq; *locô.*
Fautor, Volgſtedio Flos *vernantiſſime in horto,*
Qui Wolgang-Ditreich nomina bina *geris,*
Non es Plebeius: *non* Princeps: Nobilis *autem,*
atque potes Atavos dinumerare tuos.
Hinc Tibi Literulæ, *quas ſummè diligis,* inſtar
ſunt auri, *mores ingenuiq; tui.*
Hôc aurô ſuperas Plebeios: *tollis ad aſtra*
priſcum ſtemma tuum, Principibusq; *places:*
Inter eos Princeps *ERNESTUS* Saxo *meretur,*
ut Princeps Doctus *ſit,* Pius, *atque* Probus.
Hujus ad exemplum *conatur ſubditus omnis,*
ut tecum doctus *ſit,* pius, *atque* probus.
De priſcis *teſtis verax* Inſignibus *eſt jam*
ſcriptum Marte tuum propriô, & arte. Sat eſt.

NObilis ille labor, fateor, quem *Nobilis* ipse
Suscipis: eximia hinc tibi laus, & *nobilis* ipsa
Fama fiet tua, *Volgstędi*: sit *nobile* nomen,
Apprecor ex animô: sit honos quoq; *nobilis*, opto

Sincerum affectum & Fraternum testaturus amorem, Tibi, Generose ac Nobilisſ. Dn. Wolffg. Theodorice à Volgstädt/*Cathedram Juridicam scansure, Amice & consvetudine mihi junctisſime, commensalis itemq; singulariter dilecte, boni ominis & nominis e.*

Levinus Adolphus Marschall/
Eq. Thur.

F I N I S.